

Universitätsbibliothek Wuppertal

M. Tvllii Ciceronis Opera Omnia

Cicero, Marcus Tullius

Basileæ, MDCLXXXII

Liber tertius

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1133)

defensurus. ea res facilis est. Comitia in mensem Sept. reiecta sunt. Scauri iudicium statim exercebitur: cui nos non decimus. *ἡ συνδίκητος Σοφοκλῆς*, quamquam à te actam fabellam vides esse fictivè, nullo modo probavi. Venio nunc ad id, quod nescio, an primum esse debuerit. O jucundas mihi tuas de Britannia litteras! timebam Oceanum, timebam litus insulae. Reliqua non equidem contemno, sed plus habent tamen spei, quam timoris, magisque lum sollicitus expectatione ea, quam metu. Te verò *ὑποδραστη* scribendi egregiam habere video. Quos tu situs, quas naturas rerum & locorum, quos mores, quas gentes, quas pugnas, quem verò ipsum im-

peratorem habes? Ego te libenter, ut rogas, quibus rebus vis, adjuvabo, & tibi versus, quos rogas, *2. γλαυκῆς εἰς Ἀθήνας* mittam. Sed heus tu, celari video à te. quomodònam, mi frater, de nostris verbis Casar? nam primum librum se legisse scripsit ad me ante: & prima, sic, ut neget se ne Græcæ quidem meliora legisse. Reliqua ad quendam locum *ῥαθυμώτερον*. hoc enim utitur verbo. Dic mihi verum. nam aut res eum, aut *χαρμηλῆς* non delectat? nihil est, quòd vereare. Ego enim ne pilo quidem minus me amabo. Hac de re *φιλαλήθης*, & , ut loles, scribe fraternè.

1. *ἡ συνδίκητος*, Concoratorum Sophoclis.

2. *Γλαυκῆς*, Noctua Athenas [sc. porto ver mitto]

M. TULLII CICERONIS

EPISTOLARVM

LIBER TERTIVS,

AD

QUINTUM FRATREM.

MARCUS Q. FRATRI, S.



Go ex magnis caloribus (non enim minimus majores) in Arpinati summa cum amœnitate fluminis me feci ludorum diebus, Philotimo tribulibus commendatis. In Arcano a. d. IIII. Idus Sept. fui. ibi Messidium cum Philoxeno, aquamque, quam si ducebant non longè à villa, bellè sanè fluentem

vidi, præsertim maxima siccitate: uberiorè que aliquanto sese collecturos esse dicebant. apud Herum rectè erat, 1. In Manliano offendi Diphilum Diphilo tardiorè. sed tamen nihil ei restabat præter balnearia, & ambulatio nem, & Aviarium. Villa mihi valde placuit, propterea quòd summam dignitatem pavementata ponticus habebat: quod mihi denique apparuit, posteaquam & ipsa tota patet, & columna politæ sunt. Totum in eo est (quod mihi erit curæ,) 2. testorium ut concinnum sit pavementa rectè fieri videbantur. camerae quasdam non probavi, mutarique jussi. Quo loco in porticu te scribere ajunt ut atriolum fiat, mihi, ut est, magis placebat. neque enim satis loci esse videbatur atriolo: neque ferè solet, nisi in his ædificiis fieri, in quibus est atrium majus: nec habere poterat adjuncta cubacula, & ejusmodi membra. 3. nunc hoc vel honestate testudinis, vel valde boni æstivum locum obtinebit. tu tamen si aliter sentis, rescribe quamprimum. In balneariis, assa in alterum apodyterii angulum promovi, propterea quòd ita erant posita,

ut eorum vaporarium, ex quo ignis erumpit, 4. esset subiectum cubiculis. subgrande cubiculum autem, & hibernum ætium valde probavi, quòd & ampla erant, & loco posita ambulationis uno latere, eo, quod est proximum balneariis. Columnas neque rectas, neque è regione Diphilus collocarat. eas scilicet demolietur, aliquando perpendiculari, & linea discet utri. Omnino spero paucis mensibus opus Diphili perfectum fore. curat enim diligentissimè Cæsius, qui tum mecum fuit. Ex eo loco rectà Vitularia via profecti sumus in Fusidianum fundum, quem tibi proximo nuntiis Arpini de Fusidio H s c c c i o o o. emeramus. Ego locum ætate umbrosiorè vidi numquam: per multis locis aquam profluentem, & eam uberem, quid quaris? Jugera 1. prati Cæsius irrigaturum faciliè te arbitrabatur. Equidem hoc, quod melius intelligo, a firmo, mirifica suavitate te villam habiturum piscina, & salientibus additis, palæstra, 5. & silva viridicata. Fundum audio se hunc Bovillanum velle retinere. de eo quid videatur, ipse constituit. Calvus ajebat, aqua demta, & ejus aquæ jure constituto, & servitute fundo illi imposita, tamen nos pretium servare posse, si vendere vellemus. Messidium mecum habui, is te ternis nummis in pedem teum transegisse dicebat. sese autem mensum pedibus 6. ajebat passuum 1400. mihi plus visum est. sed præstabo, sumtum nusquam melius posse poni. Chilonem acceperam Venastro: sed eo ipso die quatuor ejus conservos, & discipulos Venastri *cuniculus* oppreserat. Idibus Sept. in Latio fui. viam perspexi, quæ mihi ita placuit,

1. *In Manliano offendi Diphilum*, etc. Pall. Manlianus Gul. corrigebat, in Arcano.
2. *Testorium ut concinnum sit* Pall. plerique, *concinnum*, vel tale quid: quod cum simile quid in suis forte invenisset P. Manut. faciem inde concinnum sit.
3. *Nunc hoc vel honestate testudinis, vel valde boni æstivum locum obtinebit*. Ita Pal. pr. & olim casu nam loc. & cert. honestatem testudinis, vel valde bonum æstivum, etc. quart. *honeste testudinis vel valde boni æstivum* quod & de senjectura annotarat ad oram cod. cis. sui Gul. P. Man. ingeniosè divinabat: *Nunc hoc vel in æstivum testudinis, vel bonum æstivum locum obtinebit*. Lamb. expendatio ridicula est. Turn. J. xxv. c. 39. Ad veritatem putat-

bar locum redintegrari, si rescriberetur tantum *boni æstivum*.
4. *Esset subiectum cubiculis*. Ita m. ff. Turn. nouo secus Pal. sec. nam ceteri *subiectum cubiculis*. ineptius adhuc retro vulgatis *sub testum cubiculis*. Joseph. Scaliger ad Catullum emendat, *subli* subintrante, idem antea delet, cui sponte *max* quo ignis erumpit.
5. *Et silva viridicata*. Sic Pall. tres. nam pr. *viridica* Lambin. edidit *viridicaria*, nunc sub Turn. manusum offendisset in Mem. *viridicaria*. videatur d. c. 39.
6. *Ajebat passuum 1400*. Placuit sic rescribere, cum offendit stem. in Pall. aut *videns* *exp. jussu*, loco numerorum illorum, vulgata nimis enormis *passuum* C C C C I O. 4. M. c.

placuit, ut opus publicum videretur esse, præter cæ, passim enim ipse mensus ab eo ponticulo, qui est ad Farinæ, Satricum versus. eo loco pulvis, non glareæ injecta est: & mirabitur: & ea vix pars valde acclivis est. sed intellexi aliter duci non potuisse, præsertim cum tu neque per Locustæ, neque per Tartonis velles ducere. Velinus ante suum fundum propè munierat. Locusta non attigerat: quem ego Romæ aggrediar, & ut arbitror, commovebo; & simul M. Taurum, quem tibi audio promisisse, qui nunc Romæ erat, de aqua per fundum ejus ducenda rogabo. 1. Nicephorum, villicum tuum, sanè probavi: quæsi vique ex eo, eequid ei de illa edificatiuncula Lateri, de qua mecum locutus es, mandavisses. tum is mihi respondit, se ipsum ejus operis a. n. s. XVI. conductorem fuisse: sed te postea multa addidisse ad opus, nihil ad pretium; itaque id se omisisse. Mihi hercule valde placet, te illa, ut construas, addere: quamquam ea villa, quæ nunc est, tamquam philosophia videtur esse, quæ objurget ceterarum villarum infamiam. Verumtamen illud additum delectabit. Topiarium laudavi; ita omnia convellit hedera, quæ basim villæ, quæ intercolumnia ambulatio; ut denique illi palliati topiarium facere videantur, & hedera vendere. jam *admodum* nihil aliud, nihil moloscus. Habes ferè de rebus rusticis. Urbanam expulsiorem urget ille quidem, & Philomus & Cincius: sed etiam ipse crebro intervio: quod est facile factum. Quamobrem eate cura liberatum volo. De Cicerone quod me semper rogas, ignosco equidem tibi, sed tu quoque mihi velim ignoscas. Non enim concedo tibi, plus ut illum ames, quam ipse amo. Atque utinam his diebus in Arpinati, quod & ipse cupierat, & ego non minus, mecum fuisset. Quod ad Pomponiam: si tibi videtur, scribas velim, cum aliquò exhibimus, eat nobiscum, puerumque ducat. clamores efficiam, si eum mecum habuerò otiosum, nam Romæ respirandi non est locus. Id me scis antea gratis tibi esse pollicitum. Quid nunc putas tanta abs te mihi mercede proposita? Venio nunc ad tuas literas: quas pluribus epistolis accepi, dum sum in Arpinati. nam mihi uno die tres sunt redditæ, & quidem, ut videbantur, eodam abs te data tempore. una pluribus verbis, in qua primam erat, quod antiquior dies in tuis fuisset adscripta litteris, quam in Cæsaris. 3. Id facit Oppius nonnumquam necessario, ut, cum tabellarios constituerit mittere, literasque a nobis accepit, aliqua re nova impediat, & necessario seriùs, quam constituerat, mittat: neque nos datis jam epistolis diem commutari curemus. Scribis de Cæsaris summo in nos amore. hunc & tu fovebis, & nos, quibuscumque poterimus, rebus augebimus. De Pompejo, & facio diligenter, & faciam quod mones. Quod tibi mea permisso manlionis tuz grata est, id ego summo meo dolore, & desiderio, tamen ex parte gaudeo. In Hippodamis, & nonnullis aliis arcessendis, quid cogites, non intelligo. Nemo istorum est, quin abs te manus, fundi suburbanus inlta, expectet. Trebatium verò meum quòd isto ad mittetas, nihil est. Ego illum ad Cæsarem misi, quid mihi jam satisfecit. si ipsi minus, præstare nihil debeo: teque item ab eo vindico, & libero. Quod scribis te à Cæsare quotidie plus diligere, immortaliter gaudeo. Balbum vero, qui est istius rei (que admodum scribis) adjutor, in oculis sero. Trebonium meum à te amari, teque ab illo, pergaudeo. De tribunatu quòd scribis, ego verò nominatim petivi Curtio, & mihi iose Cæsar nomina-

tim Curtio paratum esse rescriptit, meamque in rogando *verecundiam* objurgavit. Sicuti præterea petiero (id quod etiam Oppio dixi, ut ad illum scriberet) facile patiar mihi negari, quoniam illi, & qui sibi molesti sunt, sibi negari à me non facile patiuntur. Ego Curtium, (id quod ipsi dixi) non modò rogatione, sed etiam testimonio tuo diligo, quòd litteris tuis studium illius in salutem nostram facile perspexi. De Britannicis rebus cognovi ex tuis litteris nihil esse, nec quòd metuemus; nec quòd gaudeamus. De publicis negotiis, quæ vis ad te Titonem scribere, negligentius ad te ante scriberem, quòd omnia, minima, maxima, ad Cæsarem mitti sciebam. Rescripti epistola maxima. Audi nunc de minucula: in qua primum est de Clodii ad Cæsarem litteris, in quo Cæsaris consilium probo, quòd tibi amanissimè petenti veniam non dedit, uti illum ad illam Furiam verbum rescriberet. Alterum est 3. de Calventii Marci oratione, quòd scribis, miror, tibi placere, me ad eum rescribere, præsertim cum illam nemo lecturus sit, si ego nihil rescripsero, meam in illum pueri omnes, tamquam distata, perdiscant. Libros meos, quos expectas, inchoavi: sed conficere non possum his diebus. Oraciones effragatas pro Scauro, & pro Plancio abfolvi. Poëma ad Cæsarem, quòd componerem, incidi. Tibi quòd rogas, quoniam ipsi fontes jam siccant, liquidi habeo spatii, scribam. Venio ad tertiam. Balbum quòd ais mature Romam bene comitatum esse venturum, mecumque assidue usque ad id. Majas futurum; id mihi pergratum, perque jucundum erit. Quòd me in eadem epistola, licet sæpe antea, cohortaris ad ambitionem, & ad laborem, faciam equidem. sed QUANDO VIVEMUS? Quarta epistola mihi reddita est Id Sep. quam a. d. IIII. Id. Sext. ex Britannia dederas. In ea nihil sanè erat novi, præter Eriogonam: quam si ab Oppio accipero, scribam ad te quid sentiam. nec dubito, quum mihi placitura sit. Et, quòd præteri, de eo, quem scripsisti de Milonis plausu scripsisse ad Cæsarem; ego verò facile patior ita Cæsarem existimare, illum quam maximum fuisse plausum: & proliùs ita fuit: & tamen ille plausus, qui illi datur, quodammodò nobis videtur dari. Reddita mihi est etiam perverus epistola, sed serò allata, in qua de æde Telluris, & de porticu Cæsari me admones, sit utrumque diligenter ad Telluris quidem etiam tuam statuas locavi. Item de hortis, quòd me admones; nec fui umquam valde cupidus, & nunc domus suppeditat mihi hortorum amoenitatem. Romanam venissem a. d. XII. Kal. Octobr. absolutum offendi in ædibus tuis rectum; quòd supra conclavia non placuerat tibi esse multorum fastigiorum; id non honeste vergit in rectum inferioris porticus. Cicero noster, dum ego absum, non cessavit apud rhetorem. De ejus eruditione quòd labores, nihil est, quoniam ingenium ejus nōsti: studium ego video. cetera ejus suscipio, ut me patem præstare debere: Gabinium tres adhuc factiones postulant: L. Lentulus, flaminis F. qui jam de majestate postulavit: Ti. Nero cum bonis subscriptoribus: C. Memmius tribun. pl. cum L. Capitone, ad urbem accessit a. d. XII. Kal. Octobr. nihil turpius, nec desertius. sed his judicis nihil audeo & confidere. Quòd Cato non valebat, adhuc de pecuniis repetendis non erat postulatus. Pompejus à me valde contendit de reditu in gratiam: sed adhuc nihil profecit: nec, si nullam partem libertatis tenebo, proficiet. Tuas litteras vehementer expecto. Quòd scribis

Sss 4

icribis

1. Nicephorum villicum tuum. Editio vetus & Pall. plures Nicephorum quòd tantum placebat Gul.
2. Hs. XVI. Conductorem. Haud aliter editus à Vist. & responder Pal. pr. & quart. nam sec. ac cert. sp. CCC. XVI. cond. quomodo Aldus sen. or. n. i. quod præmittit numero Hs. at filius publicavit, Hs. n. o. cond. Lamb. Hs. XVI. Cl. cond.
3. Id facit Oppius. Hs. n. i. Habent istud quidem ultimæ editiones: sed veteriores & m. nostri præferunt Oppio; credo, quòd nomen istud

vulgo notus altero.

4. Qui sibi molesti sunt. Lamb. mihi, sed in vitiis omnibus ead. & libris plucariis.

5. De Calventii Marci oratione. Nihil movant m. itaque non est quòd Lamb. inclinat in Calventii Marci.

6. Conficere. Quod Cato non valebat, ad huc. Interpunctione mutata egregie sic locum hunc restituere Turn. d. XXIV. c. 39. Adverlat.

scribis te audisse in cauditorum consularium coitione me interfuisse, id falsum est. ejusmodi enim pactiones in ea coitione factæ sunt, quas postea Memmius patefecit, ut nemo *bonus* interesse debuerit: & simul mihi committendum non fuit, ut his coitionibus interesset, quibus Messalla excluderetur: cui quidem vehementer sati facio rebus omnibus; ut arbitror, etiam Memmio. Demitio ipsi multa jam feci, quæ voluit, quæque à me petivit. Scaturum beneficio defensionis valde obligavi. adhuc erat valde incertum, & quando comitia, & qui *co*ss. futuri essent. Cùm hancjam epistolam compicatem, tabellarij à vobis venerunt a. d. xi. Kal. Sept. vicesimo die. O me sollicitum! quantum ego dolui in Cæsaris suavissimis litteris! sed quo erant suaviores, eo majorem dolorem illius ille casus afferebat. Sed ad tuas venio litteras. Primum tuam remanitionem etiam atque etiam probo, præsertim cùm, ut scribis, cum Cæsare, communicatis. Oppium miror quidquam cum Publio: mihi enim non placuerat. Quod interiore epistola scribis, me Idib. Sept. Pompejo legatum iri: id ego non audivi, scripsi que ad Cæsarem, Vibullium Cæsaris mandata de mea manitione ad Pompejum pertulisse, nec ad Oppium. quo consilio? quamquam Oppium ego tenui, & quod priores partes Bibuli erant cum eo enim coram Cæsare egerat, ad Oppium scripserat. Ego verò nullas *δουλεύεις* oportuit habere possum in Cæsaris rebus. ille mihi secundum te & liberos nostros ita est, ut in prædè pari videor id iudicio facere. iam enim *debes*: sed tamen amore sum incensus. Cum scripsissem hæc infima, quæ sunt mea manu, venit ad nos Cicero tuus ad cenam, cum Pomponia foras cenaret. dedit mihi epistolam legendam tuam, quam paulo ante & acceperat, Aristophaneo modo; valde mehercule & suavem, & gravem: qua sum admodum delectatus. Dedit etiam alteram illam mihi, qua jubes, eum mihi esse *afficum*, tamquam magistro. Quam illam epistolam illæ delectantur? quam me? Nihil puero illo suavius, nihil nostri amantius. Hæc inter cenam Tironi dictavi, ne mirere alia manu esse. Annali litteræ tuæ pergrata fuerunt, quod & curares de se diligenter, & tamen consilio severissimo juvares. P. Servilius pater, ex litteris, quas tibi à Cæsare missas esse dicebat, significat valde te sibi gratum fecisse, quod de sua voluntate erga Cæsarem humanissimè, diligentissimeque locutus esses. Cum Romam ex Atipnati revertissem, dictum mihi est, Hippodamum ad te profectum esse. Non possum scribere, me miratum esse, illum tam inhumaniter fecisse, ut sine meis litteris ad te proficisceretur: illud scribo, mihi molestum fuisse. iam enim diu cogitaveram, ex eo, quod tu ad me scripseras, ut, si quid esset, quod ad te diligentius perferri vellem, illi darem: quod mehercule hisce litteris, quas vulgò ad te mitto, nihil ferè scribo, quod si in alicujus manus incidere, molestè ferendum sit. Minucio me, & Salvio, & Labroni referabam. Labeo aut tardè proficisceretur, aut hic manebit. Hippodamus ne nunc quidem, quid verum, rogavit. T. Pinarius amabileis ad me de te litteras mittit, se maximè litteris, sermonibus, cenis denique

tuis delectari. Is homo semper me delectavit: fraterque ejus mecum est multum, quare, ut instituisi, complectere adolescentem. Quod multos dies epistolam in manibus habui, propter commorationem tabellariorum, idè multa congesta sunt, aliud alio tempore, velut hoc T. Anicius mihi sæpe jam dixit, sese tibi, suburbanum siquod invenisset, non dubitaturum esse emere. In: jus ferè one ego utrumque soleo admirari; & te de suburbano emendo, cum ad illum scribas, non modò ad me non scribere, sed etiam aliam in sententiam scribere; & cùm ad illum scribas, nihil te recordari 7 de se, de epistolis illis, quas in Tusculano ejus tu mihi ostendisti, nihil de præceptis Epitharmi, & *πρόβι, πῶς ἀδὲρ κέρχρηται*; totum denique vultum, animum, sermonem ejus; quemadmodum con-jicio, quasi. Sed hæc tu videris. De suburbano, cura, ut sciam, quid velis: & simul nequid ille turbet, vide. Quid præterea? Quid? etiam Gabinius a. d. 1111. Kal. Octob. noctu in urbem introivit; & hodie 11 VII. cùm edictò C. Alfi de majestate eum adesse oporteret, concursu magno, & odio universi populi panè afflictus est. nihil illo turpius: proxima tamen est fiso. itaque *μισθικὸν* cogito in secundum librorum meorum includere, dicentem Apollinem in concilio deorum, qualis reditus duorum imperatorum futurus esset: quorum aliter exercitum *περδιδίξεν*, alter *vendidisset*. Ex Britannia Cæsar ad me Kal. Sept. dedit litteras: quas ego accepti a. d. 1113. Kal. Octobr. satis commodas de Britannicis rebus: quibus, ne admirer, quòd à te nullas acceperim, scribit, se sine te fuisse, cùm ad mare accesserit. Ad eas ego et litteras nihil rescripsi, ne gratulandi quidem causa, propter ejus *suavem*. Teoro etiam atque etiam, mi frater, ut valeas.

MARCUS Q. FRATRI S.

A. D. VI. Id. Octob. Salvia Ostiam vesperi navi profectus erat cum iis rebus, quas tibi domo miti volueras. Eodem die Gabinium ad populum luculentè calciferat Memmius, sic, ut Calidio verbum facere pro eo non licuerit. Pòrridie autem ejus diei, qui erat tum futurus, cùm hæc scribebam ante lucem, apud Catonem erat divinationio in Gabinium futura inter Memmius, & Ti. Neronem, & C. & L. Antonios, M. F. Putabamus fore, ut Memmio daretur, etsi erat Neronis mira contentio. Quid queris? probè premitur, nisi nosser Pompejus, dis, hominibusque *invisis*, negotium everterit. Cognosce nunc hominis audaciam, & aliquid in rep. perdit delectare. Cùm Gabinius, quæcumque veniebat, triumphum se postulare dixisset, subitoque bonus imperator noctu *τοῖς* urbem, hostium planè, in vasisset, in tenatum se non committebat. Interim ipso decimo die, quo ipsum oportebat hostium numerum, & milium renuntiare, *11* in re hæsit; summa infrequentia. cùm vellet exire, à *co*ss. tententus est: inducti publicani. Homo undique actus, cùm à me maxime vulneraretur, non tulit, & me trementi voce *exsulem* appellavit. Hic, o dii! nihil unquam honorificentius nobis accidit. consurrexit senatus cum clamore ad unum; sic, ut ad corpus ejus accederet: pari cla-

more

1. Sed qui transcurrit, etc.) Lamb. inru. inconsideratè, scripserit que ea propter à Stovveclio nostro commentariis ad Vegetium I. II. c. 83.
 2. Quod priores partes Bibuli erant.) Habent istud Pall. omnes. & cusi utque ad Lamb. enim adm. sic conjecantem P. Man. Vibullii non autem mutare.
 3. Δουλεύεις (P) Posteriorer cogitationes.
 4. Cum Pomponia sui uxoris.) Antea erat satis; sed mutavit è fido. m. V. c. 1. xv. Var. lect. c. 5. neque aliter Pall. nostri.
 5. Acceperat, Aristophaneo modo.) Revocavit hæc scripturam ex m. e. d. n. s. s. P. V. c. qui consulaer. d. c. 5. si que etiam reperit in Pal. pr. de quart. nam intermed. ab Aristophaneo meo.
 6. Hippodamus ne nunc quidem quid de se impetoret.) Lamb. ne, nunc quid dicitur, quidem reperit; sed non adferuntur m. s. nostri. Gul. divinabatque

me quidem, etc. ingeniosè quidem si non verè.
 7. De se de epistola ejus.) V. c. & Pall. tres epist. sed non video quo modo quadret Lamb. edidit de se, libris omnibus non entibus.
 8. Πρόβι πῶς.) Nasce, quemadmodum alio usus fuerit.
 9. Επιστόλιον.) Partem quandam ab argumento proposito se-junctam, in sermone quoddam.
 10. In urbem, hostium planè, in vasisset.) Petrus V. c. emendandum putabat. in urbe, quæ plene in vasisset. I. V. Var. lect. c. 13. quem resellit Robert. T. eius I. V. Controversie. I. B. haud probem tamen explanationem ejus, ad hæc: inque Man.
 11. In re hæsit, summa infrequentia.) V. c. tentabat in re, summa infreq. Ep. autem malebat. m. e. hæsi summa in frequentia. videat. I. V. Ant. lect. c. 13. illud m. e. placuit icon Gul. sed nihil præterea mutatum. h. e.

more, atque impetu publicani. Quid quaris? omnes, tamquam si tu esses, ita fuerant. Nihil hominum sermonis foris clarius. Ego tamen teneo ab accusando vix mehercule; sed tamen teneo, et vel quod nolo cum Pompejo pugnare (tatis est quod inquit de Milone) vel quod iudices nullos habemus. 2. *ἄνθρωπος* formido: addo etiam malivolentiam hominum: & timeo, ne illi, me accusante, aliquid accedat: nec despero rem, & sine me, & non nihil per me, confici posse. De ambitu postulati sunt omnes, qui consulationem petunt: à Memmio Domitius: 3. à Q. Curtio, bono & erudito adolescente, Memmius: à Q. Pompejo, Messalla: à Triario, Scaurus. 4. Magno res in motu est: propterea quod aut hominum, aut legum interitus ostenditur. Opera datur, ut iudicia ne fiant. Res videtur spectare ad interregnum. coss. comitia habere cupiunt: rei nolunt, & maxime Memmius, quod Cæsaris adventu, sperat se futurum eos. sed mirum in modum jacet. Domitius cum Messalla certus esse videbatur. Scaurus refrixerat. Appius sine lege Curia confirmat se Lentulo nostro successurum: qui quidem mirificus illo die (quod pœnè praeterii) fuit in Gabinium: accusavit majestatis, nomina data, cum ille verbum nullum. Habes forensia. Domi rectè, & ipsa domus à redemptoribus tractatur non indiligenter. Vale.

MARCUS Q. FRATRI, S.

3. **C**ONSERVATIO NUMMUM mearum tibi signum sit librarii manus. Diem scito esse nullum, quo die non dicam pro reo, ita, quidquid conficio, aut cogito, in ambulationis ferè tempus confero. negotia nostra sic se habent. Domestica verò, ut volumus. Valent pueri, studiosè discunt, diligenter docentur, & nos, & inter se amant. Expolitio-nes utriusque nostram sunt in manibus: 5. sed tua ad perfectum jam res rufficia Arcadii, & Laterii. Præterea de aqua, & via nihil prætermisi quædam epistola, quin enucleate ad te perscriberem. sed me illa cura sollicitat, angitque vehementer, quod dierum jam amplius 2. intervallo nihil à te, nihil à Cæsare, nihil ex istis locis, non modò litteratum, sed ne rumoris quidem affluxit. Me autem jam & mare istuc, & terra sollicitat: neque desino (ut fit in amore) ea, quæ minime volo, cogitare. Quare non equidem jam te rogo, ut ad me de te, de rebus istis scribas (numquam enim, cum potes, prætermittis) sed hoc te scire volo, nihil ferè unquam me sic expectasse, ut, cum hæc scriberem, litteras tuas. Nunc cognosce ea, quæ sunt in rep. Comitiorum quotidie singuli dies tolluntur *obvinationibus*, magna voluntate bonorum omnium: tanta invidia sunt coss. propter suspicionem praetorum à candidatis praetiorum. Candidati consules quatuor, omnes rei, causæ sunt difficiles: sed enitemur, ut Messalla noster salvus sit: quod est etiam cum reliquorum salute junctum. Gabinium de ambitu reum fecit P. Sulla, subscribente privigno Memmio, fratre Cæcilio Sullæ filio. Contra dixit L. Torquatus; omnibusque libentibus non obtinuit. 6. Quaris, quid fiat de Gabinio? scimus de majestate triduo: quo quidem in

judicio odio premitur omnium generum: maxime testibus exditur; accusatoribus frigidissimis utitur: confilium, varium: quæsisor, gravis, & firmus, Alfius, Pompejus, vehementer in iudicibus rogandis: Quid futurum sit, nescio: locum tamen isti in civitate non video: animum præbeo ad illius perniciem, moderatum: ad eum eventum, lenissimum. Habes ferè de omnibus rebus. Unum illud addam. Cicero tuus, nosterque 7 summo studio est Præonii sui rhetoris, hominis, opinor, valde exercitati, & boni: sed nostrum instituendi genus esse paullo eruditius, & 8 *ἡπιώτερον*, non ignoras. Quare neque ego impediri Ciceronis iter, atque illam disciplinam volo, & ipse puer magis illo declamatorio genere duci, & delectari videtur. in quo quoniam ipsi quoque fuimus, patiamur illum ire nostris *itineribus*. eodem enim perventurum esse confidimus, sed tamen, si nobiscum cum rus aliquid eduxerimus. in hanc nostram rationem, consuetudinemque inducemus. Magna enim nobis à te proposita merces est. quam certe nostra culpa numquam minus assequemur. Quibus in locis, & qua spe hiematurus sis, ad me quàm diligentissime scribas velim. Vale.

MARCUS Q. FRATRI, S.

GABINIUS absolutus est. omnino nihil accusatore Lentulo subscripseribusque ejus infantius: nihil illo consilio *sordidius*, sed tamen nihil incredibile contentio, & preces Pompeji, dictaturæ etiam rumor, plenus timoris fuisset, ipsi Lentulo non respondisset, qui tum illo accusatore, illoque consilio sententiis 9 condemnatus sit xxxix, eum xxx. tulissent. Est omnino tam gravi fama hoc iudicium, ut videatur reliquis iudiciis periturus, & maxime de pecuniis repetundis. Sed vides nullam esse rem, nullum senatum, nulla iudicia, nullam in pullo nostrum dignitatem. Quid plura de iudicibus? duo prætorii federunt, Domitius Calvinus: is aperte absolvit, ut omnes viderent: & Caro, 10 is diruptis tabellis de circulo se subdixit, & Pompejo primus nuntiavit. Ajunt nonnulli, Sallustius item, me oportuisse accusare: his ego iudicibus committerem? Quid essem, si me egente, esset elapsus? Sed me alia moverunt. Non putasset sibi Pompejus de illius salute, sed de sua dignitate mecum esse certamen: in urbem intrasset: ad inimicitias res venisset: cum Æternino Samnite Pacidianus comparatus videret, auriculum fortasse mordicus abtulisset, cum Clodio quidem certè rediisset in gratiam. Ego verò meum consilium (si præsertim tu non improbas) vehementer approbo. Ille, cum à me singularibus meis studiis ornatus esset, cumque ego illi nihil deberem, ille mihi omnia: tamen in rep. me à se dissentientem non tulit, (nihil dicam gravius) & minis potens eo tempore, quid in me florentem posset, ostendit nunc, cum ego ne curem quidem multum posse, res quidem publ. certè nihil possit, unus ille omnia possit, cum illo ipso contenderem? sic enim faciendum fuisset. Non existimo te putare, id mihi suscipiendum fuisse. Alterutrum, inquit idem Sallustius, defendisses: idque Pompejo contendenti dedisses. etenim vehementer orabat. lepidum

S s s

pidum

1. *Vel quid nolo, etc. vel quid iudicet.* Pal. sec. ac tert. habent, item illud Beffarionis, id quod nolo, etc. id quod iudicet, quod placuit Manutio; mihi verò displicet.

2. *Ἀνθρώπου* ego. Aberrationem, spei frustrationem, infelicitatem successum.

3. *Q. Curtio* Pal. pr. & quare item unus quem contulit VVou- videris noster, & Q. Curtio, perpendant otiosiores, nam & allegat Manutio, qui eandem ter electionem, librum veterem.

4. *Magno res in motu est.* Versalæ editio & Pall. *Magna res*, nihilo perius.

5. *Sed tua ad perfectum jam res rufficia Arcadii & Laterii.* Haud aliter quo ne Pall. quatuor P. Manio us hæc volabatur: *perfectum, jam res rufficia Arcadii* & *Laterii*, ut pendente à verbo *perfectum* Lambinus, auctius fecit, non itaque id contextum; sed *non pendet ad perfectum jam prædicta res rufficia*, unde auctorem id desumptum, plane tacet; tantum indicat, lectu-

tum se antiqua veteris scripturæ vestigia.

6. *Quare quid fas de Gabinio? scimus.* P. Manucius & Lambinus publicaverunt tantum, *Quare quid fas de Gabinio?* sed alterum illud restat in ceteris editionibus, præsertimque Pall. omnes, n. si quod pr. in exte- pungat: *Quare quid fas de Gabinio? scimus, etc.*

7. *Summo studio est Præonii sui rhetoris, etc.* Lambinus edidit, *summo studio instituitur Præonii Rhetoris, etc.* Rectissime supra lib. i. b. i. correctio- terpolare auctores classici.

8. *ἡπιώτερον*. Philosophicè quæstionibus magis refertum aptum.

9. *Condemnatus sit xxxix.* Hæc male, ne sit hb. iv. Epist. ad Actio- cum 16. P. Manucius. Pall. tamen & edidit prius xxxii.

10. *Le diruptis tabellis.* P. Manucius cuperet *diruptis*, quomodo & Cluchius. Sigonius malebat *diruptis*, Pall. nostri propugnant *vulgatum?*

pidum amicum Salustium, qui mihi aut inimicitias putet periculosas subeundas fuisse, aut infamiam sempiternam. Ego vero hac mediocritate delector: ac mihi illud jucundum est, quod, cum testimonium secundum fidem, & religionem gravissime dixissem, reus dixit, si in civitate licuisset sibi esse, mihi se satisfacturum: neque me quidquam interrogavit. De versibus, quos tibi a me scribi vis, deest mihi opera, quæ non modo tempus, sed etiam animum vacuum ab omni cura desiderat: sed abest etiam *ἡ ἐπιθυμία*, non enim sumus omnino sine cura venientis anni: erit sumus sine timore. Simul & illud (sine ulla mehercule ironia loquor) tibi istius generis in scribendo priores partes tribuo, quam mihi. De bibliotheca tua Græca supplenda, libris commutandis, Latinis comparandis, valde velim ista confici, præsertim cum ad meum quoque usum spectent. Sed ego, mihi ipsi ista per quem agam, non habeo. neque enim venalia sunt, quæ quidem placeant, & confici nisi per hominem, & peritum, & diligentem non possunt. Chrysippo tamen imperabo, & cum Tyrannione loquar. De fisco quid egerit Scipio, quæram, quod videbitur rectum esse, curabo. De Ascanione, tu vero, quod vis, facies: me nihil interpono. De suburbano quod non properas, laudo: ut tu habeas, hortor. Hæc scripta dixi. Kalend. Nov. quo die ludi comminiebantur, in Tusculanum proficiscens, ducentque mecum Cicero nem meum in ludum discendi, non lusionis ea re non longius, quam vellem, quod Pontino ad triumphum a. d. xxi. Non. Novemb. volebam adesse, etenim erit nescio quid negotioli. Nam Caro & Servilius prætores prohibuitur se minantur: nec, quid possint, scio. Ille enim & Appium Cos. secum habebit, & prætores, & tribunos pleb. sed minantur tamen: in primisque *ἀπὸ πένον* Q. Scævola. Cura, mi suavisime, & carissime frater, ut valeas.

MARCUS Q. FRATRI, S.

Quod quaeris, quid illis libris egerim, quos, cum essem in Cumano, scribere institui: non cessavi, neque cessor: sed sæpe jam scribendi torum consilium, rationemque mutavi. Nam jam duobus factis libris, in quibus, novendialibus iis feriis, quæ fuerunt Tuditano & Aquilio Cos. sermo est à me institutus Africani, paullo ante mortem, & Lælii, Philii, Manilii, Q. Tuberonis, & Lælii generorum Fannii, & Scævola: sermo autem in novem & dies, & libros distributus de optimo statu civitatis, & de optimo cive: sanè texebatur opus luculentis, hominumque dignitas aliquantum orationi ponderis afferebat, hi libri cum in Tusculano mihi legerentur, audieme Salustio, admonitus sum ab illo, multo majore auctoritate illis de rebus dici posse, si ipse loqueretur de repub. præsertim cum essem non Heraclides Ponticus, sed consularis, & is, qui in maximis versatus in rep. rebus essem, quæ jam antiquis hominibus attribuerem, ea visum iri facta esse oratorum sermone in illis nostris libris, quod esset de ratione dicendi, belle à me removisse: ad eos tamen tenuisse, quos ipse vidissem. Aristotelem denique, quæ de rep. & præstante viro scribat, ipsum loqui. Commovit me, & eo magis, quod maximos motus nostræ civitatis attingere non poteram, quod erant inferiores, quam illorum ætas, qui loquebantur. Ego autem id ipsum tum eram secutus ne in nostra tempora incurrens offenderem quempiam. Nunc & id vitabo, & loquar ipse tecum, & tamen illa, quæ institueram, ad te, si Romam venero, mittam. Puto enim te existimaturum à me libros illos non sine aliquo meo Tommacho esse relictos. Cæsaris amore, quem ad me perscri-

psit unice delector: promissis iis, quæ ostendit, non valde pendeo: nec honores litio, nec desiderio gloriam: magisque ejus voluntatis perpetuitatem, quam promissorum exitum exspecto. vivo tamen in ea ambitione, & labore, tamquam id, quod non postulo, exspectem. Quod me de faciendis versibus rogas, incredibile est, mi frater, quam egeam tempore: nec sanè latis commoveor animo ad ea, quæ vis, canenda. *ἡ ἀπορία* vero ad ea, quæ ipse ego ne cogitando quidem conseqor, tu, qui omneis isto eloquendi, & exprimendi genere superasti, à me petis? Facerem tamen, ut possem: sed (quod te minime fugit) opus est ad *πρῶτα* quadam animi alacritate, quam plane mihi tempora eripiunt. Abduco equidem me ab omni reip. cura, deoq; litteris: sed tamen indicabo tibi, quod mehercule in primis te celatum volebam. Angor, mi suavisime frater, angor, nullam esse temp. nulla judicia, nostrumq; hoc tempus ætatis, quod in illa auctoritate senatoria florere debbat, aut forensi labore actari, aut domesticis litteris sustentari. Illud vero, quod à puero adamaram: *2 αὐτὸς ἐπέσθην, καὶ ἰσχυρότερον ἐμῆρας ἀδελφῶν*, totum occidisse animicos à me partim non oppugnatos, partim etiam esse defensos: meum non modo animum, sed ne odium quidem esse liberum: unumque ex omnibus Cæsarem esse inventum, qui me tantum, quantum ego vellem, amaret, aut etiam (sicut alii putant) hunc unum esse, qui vellet. Quorum tamen nihil est ejusmodi, ut ego me non multa consolatione quotidie leniam: sed illa erit consolatio maxima, si una erimus. nunc ad illa vel gravissimum accedit, ut desiderium Gabinium, si ut Pania putat oportuisse, defendissem, concidissem: qui illum oderunt (si sunt toti ordines) propter quem oderunt, me ipsam odisse cepissent. Tenui me, ut puto, egregie, tantum ut facerem, quantum omnes viderent. Et in omni summa, ut moneo, valde me ad onum, pacemque converto. De libris, Tyrannio est celsator: Chrysippo dicam: sed res operosa est, & hominis perdidiligentis. Sentio ipse, qui in tummo studio nihil assequor. De Latinis vero, quod me veritam, nescio: ita mendose & scribuntur, & veneunt: sed tamen quod fieri poterit, non negligam. Crebrius, ut ante te scripti, Romæ est: & qui omnia adjurant, debere tibi valde renuntiant. Ab ætario puro confectum esse, dum absum.

MARCUS Q. FRATRI, S.

Quattuor tragedias xvi. diebus absolvisse cum quibus, tu quidquam ab alio mutatis? & *κλιθ* quaeris, cum Electram & Troadem scripseris? Celsator esse noli: & illud *ἡ γὰρ σταντή*, non putare ad arrogantiam minuendam solum esse dictum, verum etiam ut bona nostra norimus. Sed & istas, & Erigonam: mihi velim mittas. Habes duas epistolas proximas.

MARCUS Q. FRATRI, S.

Romæ & maxime Appia ad Martis, 3 mira proluvia. Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernæ plurimæ: magna vis aquæ usque ad piscinam publicam. Viget illud Homeri.

- 1. ἡ μὲν ὀπωριὰ, ὅτε λαοὶ ἐβίβον ἅπαντες ὕδωρ
- 2. Ζῆς. Cadi enim in absoction. in Gabini.
- 3. ὅτε διὰ τὸ ἀνάσσειν ἡγεῖται ἄμφοτεροῦ χαλεπαίνω,
- 4. οἱ βίη ἐν ἀγρῇ πολίτας κελῶσι ἡμίτας,
- 5. οἱ δὲ δίχην ἰλαστοῖσι, ἦσαν ὅππῃ σοὶ ἀλέησται:

Sed hæc non curate decrevi Romam cum venero, quæ perspexero, scribam ad te, & maxime de dictatura: & ad Labienum, & ad Ligurium litteras dabo. Hanc scripsi ante lucem,

1. Ἐπιθυμία.) Assidua divinas.

2. Αὐτὸς ἀγρῶν.) Semper fortiter ageres, aliis præstare.

3. Μὴν ἰσχυρότερον.) Sic Pall. tres. verum pr. Mira luxur, ut videatur exprimeret voluisse, ἀνασσειν, quod est in hbris à V. Gtorio editis.

4. ἡ μὲν ὀπωριὰ.) Die autumnali, cum abundantissimam effundit equo 1 pice: cum jam homin. bur iratus succenset, qui per vim in foro obliquus exiit: maverunt leges, Iustinam autem expellunt, Deorum v. nūctiam non curantes.

lucem, ad lychnuchum ligneolum, qui mihi erat percucundus, quod eum te aspexant, cum esses Sami, curas sic faciendum. Vale mi suavisime. & optime frater.

MARCUS Q. FRATRI, S.

SUPPRA TOXI epistola quod respondeam, nihil est: quae plena stomachi, & querelaru[m] est: quo in genere alteram quoque te scribis pridie Labieno dedisse: qui adhuc non venerat. Delevit enim mihi omnem molestiam recentior epistola. Tantum te & moneo, & rogo, ut in istis molestiis, & laboribus, & desiderijs recedere, consilium nostrum quod fuerit perfectionis tuae. Non enim comoda quaedam sequebamur parva, ac mediocria. Quid enim erat, quod discessu nostro emendum putarem? Praesidium firmissimum petebamus ex optimi, & potentissimi viri benivolentia ad omnem statum nostrae dignitatis. Plura ponuntur in spe quam in pecuniis: reliqua ad iacturam struuntur. Quare si crebro referes animum tuum ad rationem & veteris consilii nostri, & spei, facilius istos militiae labores, ceteraque, quae te offendunt, feres: & tamen cum voles, depones. Sed ejus rei maturitas nequidem venit, & tamen jam appropinquit. Etiam illud te admoneo, ne quid ullis litteris committas: quod si prolatum sit, moleste feramus. Multa sunt, quae ego nescire malo, quam cum aliquo periculo fieri. certior. Plura ad te vacuo animo scribam, cum (ut spero) se Cicero meus bellè habebit. Tu velim cares, ut sciam, quibus nos dare oporteat eas, quas ad te deinde litteras mittemus: Caesarisne tabellariis, ut is ad te protinus mittat, an Labieni. Ubi enim isti sunt Nervii, & quam longè absint, nescio. De virtute, & gravitate Caesaris, quam in summo dolore adhibuisset: magnam ex epistola tua accipi voluptatem. Quod me institutum ad illum poema jubes perficere: et si discesserit cum opera, tum animo sum multo magis, quoniam tamen ex epistola, quam ad te miseram, cognovit Caesar, me aliquid esse exorsum, revertat ad institutum: idque perficiam his supplicationum otiosis diebus: quibus Messallam jam nostrum, reliquosque molestia levatos, vehementer gaudeo: eumque quod certum Cos. cum Domitio numeratis, nihil à nostra opinione dissentis. Ego Messallam Caesari praestabo. Sed Memmianus in adventu Caesaris habet spem: in quo illum puto errare: hic quidem frigit. Scaturum autem jam pridem Pompejus abiecit, res prolatae, ad interregnum comitia adducta. Rumor dictatoris injucundus bonis: mihi etiam magis quae loquuntur. Sed tota res & timeretur, & refrigerat. Pompejus planè se negat velle: antea ipse mihi non negabat. Hirrus auctor fore videtur. O dii quam ineptus! quam se ipse amans sine rivali! Crassum Junianum, hominem mihi debitum, per me deterruit, velit, nolit, scire difficile est. Hirro tamen agente, nolle se non probabit. Aliud hoc tempore de rep. nihil loquebantur. agebatur quidem centè nihil. Serrani Domestici filii funus perijucuosum fuit a. d. iij. Kal. Decemb. Laudavit pater scripto meo. Nunc de Milone. Pompejus ei nihil tribuit: & omnia Gattæ: dicitque se perfecturum, ut in illo Caesar incubat, hoc horret Milo: nec in iuria: & si ille dictator factus sit, prae diffidit. Intercessorem dictaturae si juverit manu, & praesidio suo, Pompejum metu in inimicum, si non juverit: timet, ne per vim perferatur. Ludos apparat magnificentissimos, sic, inquam, ut nemo sumtuosiores, stultè utique, non postulatus: vel quia munus magnificum dederat, vel quia facultates non erant, vel quia magister, vel quia potuerat magistrum se, non ad id putare. Omnia ferè scripta. Cura, mi carissime frater, ut valeas.

MARCUS Q. FRATRI, S.

DE Gabinio nihil fuit faciendum istorum, quae amantissimè cogitata sunt *τὸν μὴ χάρις*, feci summa cum gravitate, ut omnes sentiant, & summa cum lenitate, quae feci, illum neque urfi, neque levavi, testis vehementis fui: praererea quievi. Exitum iudicii foedum, & perniciosum levissimè tuli. Quod quidem bonum mihi nunc denique redundat, ut his malis seip. licentiaque audacium, quae ante rumpebar, nunc ne movear quidem, nihil est enim perditus his hominibus, his temporibus. Itaque, ex rep. quoniam nihil iam voluptatis capi potest: cur siromacher, nescio. Litterae meae, & studia nostra, & otium, villae quae delectant, maximeque pueri nostri. Angit unus Milo, sed velim finem afferat consulatus: in quo enitar non minus, quam sum enisus in nostro: tuque istine, quod facis, adjuvabis. De quo, cetera (nisi planè vis eriperit) restant: de re familiari timeo,

2. ὁ δὲ μακροτέρως ἔσ' ἀνεκτός: 3. qui ludos n. s. ecc. comparat. cuius in hoc uno considerantiam & ergo sustinebo, ut potero, & tu, ut possis, est tuorum nervorum. De motu temporum venientis anni, nihil te intelligere volebam domestici timoris, sed de communi reip. statu: in quo etiam si nihil procuro, tamen nihil curare vix possum. Quam autem te velim *causam* esse in scribendo, ex hoc coniecto, quod ego ad te ne haec quidem scribo, quae palam in rep. turbantur; ne cuiusquam animum mea litterae interceptae offendant. Quare domestica cura te levatum volo. In rep. scio quam sollicitus esse soleas. Video Messallam nostrum Cos. si per interregem, sine iudicio; si per dictatorem, tamen sine periculo, odii nihil habet. Hortensii calor multum valebit. Gabini absolutio, *lex impunitatis* putatur, *ὁ παρ' ἑσθ'.* De dictatore tamen actum adhuc nihil est. Pompejus abest: Appius miscet: Hirrus parat: multi intercessores numerantur: populus non curat: principes nolunt: ego quiesco. De mancipiis, quod mihi polliceris, valde te amo: & sum equidem, uti scribis, & Romae, & in praediis infrequens. Sed cave, amabo, quidquam, quod ad meum commodum attineat, nisi maxime tuo commodo, & maxima tua facultate, mi frater, cogitatis. De epistola Vatini, risi, sed me ab eo ita observari scio, ut ejus ista odia non forbeam solum, sed etiam concoquam. Quod me hortaris, ut absolvam: habeo absolutum suave, mihi quidem uti videtur, *ἢ* ad Caesarem: sed quare locupletem tabellarium, ne accidat quod Erigonae tuae: cui soli, Caesare imperatore, iter ex Gallia tutum non fuit. * * Quid? si cementum bonum non haberem, deturbem aedificium? quod quidem quotidie mihi magis placet: in primisque inferior porticus, & ejus conclavia sunt restae. De Arcano, Caesaris opus est, vel mehercule etiam elegantioris alicujus. imagines enim istae, & palæstra, & piscina, & milus, multorum Philotimorum est, non Diphilorum. sed & ipsi ea adhibemus, & mittemus, & mandabimus. De Felicitis testamento tum magis querere, si scias. Quas enim tabulas se putavit obignare, in quibus in uncis firmissimum tenuerat (lapsus est per errorem & suum, & Sicuræ servi) non obignavit: quas noluit, eas obignavit. *4. ἢ δ' οὐ μὲν ἔστι:* nos modò valeamus, Ciceronem, & ut rogas, amo, & ut meretur, & ut debeo. Dimitto autem me, & ut à magistris ne abducam, 5. & quod mater Pomponia discedit, sine qua edacitatem pueri pertimesco, sed sumus unatamen valde multum. Rescripti ad omnia, mi suavisime, & optime frater.

M. TVL-

1. *τὸν μὴ χάρις.* Adde *ὁ δὲ μακροτέρως*, Tunc cellus mihi ista dehiscait.

2. *ὁ δὲ μακροτέρως.* Hic autem furcisc, ut ferri amplius non possit.

3. *Qui ludos n. s. ecc. comparat.* Ita ferè libri editi scriptique. Lambrinus ed. dicit n. s. ecc. i. i. i. non vituperatem s. n. i. s. exemplari

manuscripto, idem mox quoque *considerantiam* mutavit in *inconsiderantiam*, cuius ac calamo exaratis nolentibus.

4. *ἢ δ' οὐ μὲν ἔστι.* Sed pleret, male ipsi sic.

5. *Et quod mater Pomponia discedit.* Habent istud Victorius & sequenti prius *ut mater Pomponia non discedit*, adeo ut assentiat P. Manutio, arbitranti illud *Pomponia* esse ab interprete.